Commentatio Grammatica
de
Productione Syllabarum
in vocabulis secundae et tertiae classis compositis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

pro loco in Facultate obtinendo

d. XXX. Octobris ab H. IX.

in auditorio maximo

defendet

CHRIST. AUG. LOBECK

AA. LL. M. et veteris literaturae Professor, Bibliothecarius regius, Societatt. Lat. Jenens. et Teuton. Regiom. sodalis

respondente

Friderico Theodoro Ellendt

Pomerano

opponente

Carolo Hutzler

Norimbergensi.

Regiomonti,
typis academicis Hartungianis.

Pars secunda.

De substantivorum mutationibus absolvimus; protinus illud quaeri oportet, ecquaenam sint adjectiva, eodem, ut illa, modo, ab ō in η̄ vel ᾱ traducta. De poeticis, quae sunt paene innumerabilia, nihil nunc dicere attinet; e prosaico genere, unum clarissimum habemus in voce Διδυμοτόκος exemplum, quae reperitur sic scripta ap. Aristot. H. An. VII. 19. 292. Galen. de Locc. affect. VI. 5. 525. C. T. VII. Synes. Epist. CXLVII. 287. B. Longum II. 246. Zenob. Prov. Cent. I. 18. p. 5. Aquil. Cant. IV. 2. διδυμοτοκεῖν Geoponn. XVIII. 9. 1183. Arist. H. An. VII. 19. 292. sed ex eodem Aristotelis loco διδυματομεῖν legitur ap. Steph. Byz. s. Αδρία, quod ne quis pro corrupto explodat, obstant alia exempla Apollod. III. 10, 2. Callim. H. in Apoll. 54. Orph. H. XXXV. 1. Epigr. ἀδεσπ. DCCXXX. 278. T. IV. Adeo huic vocabuli formae adsueti fuerunt librarii, ut eam etiam in epicos transferrent! Διδυμητοκεῖν quod his unice convenit, in illo Stephani loco exhibet codex Perusinus. Νοθαγενής, quod Schneiderus falso pro dorico habet, usurpat Eurip. Jon. 592. νοθογένης (—γένου) ab illo omissum Hesych. Suidas s. Ψήληκες; νεαγενής (epicum νεηγενής Οδ. Ρ. 127. Quint. Cal. IX. 240) Iph. A. 1623. in cantico autem νεηθαλής praetulisse videtur. Solutae

orationi satisfacit νεογενής Plato Legg. VII. 727. Lexicis adde νεοπλουτοπόνηρος Eupolidis ap Steph. Byz. s. Δούλων πόλις; νεοφάντης et νεοφανής, quae in suspectis numerant, usurpat Photius de Manich. Bibl. Coisl. p. 349. νεοφανής rursus p. 357. Sed redeam illuc. Ξενηδόχος Grotius et Brunckius in Gnomis monostichis p. 343. metri causa pro ξενοδόχος ediderunt, cujus formae indicium nullum a Lexicographis factum est; ξενιλόγος quod ex Hesychio afferunt, dubito an apud auctores graecos reperiatur; μακραδρομώτατος, quod etiam nunc in Xenophonte haeret, jam Stephano suspicionem movit. Μαδαγένειος, quod his literis scriptum legitur ap. Photium, μαδηγένειος scribit Pollux II 88. tragicorum vox, ut ille censet, licet sic etiam in Aristot. H. An. legatur I. 10. 113. ubi librarii inter μὴ δαγένειοι, μὰ δυγένειοι et ὁμαδηγένειοι oberrant; sed vel hinc intelligi potest, viros egregios literarumque sacrarum et profanarum scientia pariter instructos, *Jo. Camerarium* et *Schleusnerum* vulgatam Photii et Pollucis scripturam sine causa sollicitasse. Quod hic memorat σπανοπώγων, reponendum videtur in Comput. Pythag. in Bibl. Madrit. p. 336. ὁ Κρόνος σημαίνει ἄνδρας μηλόχροας, σπανοπώγωνας; μηλόχροους hinc addatur Lexicis. In Platonis loco ap. Eustrathium vel Aspasium ad IV. Nicom. p. 58. non σαρτοχαίτης legitur, ut Schneiderus refert, sed, id quod metrum requirit, σπαρτιοχαίτης. Verum aberramus. In Onomatologo IV. 16 . quum olim lectum esset Ναῦς μυριαφόρος, ὡς Θουκιδίδης, recte emendasse videntur μυριοφόρος, quod et hic offerunt Msta, et Thucydides agnoscit ipse VII. 25, 202. multique praeterea usurpant alii, Ctesias Indicc 6, 827. ed. Wessel. Philo *quod mund. incorr.* p. 963. A. Aristid. Or. in Sarap. p. 50. T. I. Or. Plat. I. p. 93. T. II. Themist. Or. XVI. 212. A. Heliod. IV. 1 . 161. Nicet. Ann. III. 1. p 51. D. Anon. Suid. s. Πλάτη; eodemque modo etiam χιλιοφόρος dicitur. μυριόφορτος qui usurpaverint, docet Wernsdorfius ad Himer. Or. XIV. 622. μυριαγωγὰ σκάφη dixit Philo de Plantat. Noe. p. 217. D , omisso hoc vel simili nomine μυριαγωγα Strabo III. 3. 405. quod addi potest Bosianis exemplis s. v. πλοῖον. Lexicis infer μυριότης Sap. XII. 22. μυριάριθμος Niceph. Greg XV. 2. 471. D. μυριόλεκτα πλήθη στρατεύματος Niceph Bryenn. IV. 23. 102. C cujus vocabuli

significationem aliam memorant, apud Xenophontem et Apsinem Τεχν. Ρητ. p. 714. obviam. Sed obsequar nunc ingenio, promamque conjecturam, quam saepe labefactam nunquam penitus ex animo evellere potui. Sic enim mihi Aristophanes Pac. 521. scripsisse videtur: πόθεν ἂν λάβοιμι ῥῆμα μυριαφόρον, non, ut nunc legitur μυριάμφορον quod nisi comica licentia effinxit, isto modo componi non potuit. Μυριαφόρος igitur, nisi obstat Grammaticorum auctoritas, Aristophanem scripsisse conjicimus, eadem mensura, qua ἀκράχολος occurrit Equitt. 41 Fragm. incert. CXXXIII. 289. idemque in Epinici Fr. ap. Athenaeum X. 40. p. 82. reponendum esse jam olim diximus pro ἀκρόχολος, quod librarios plus semel in locum formae priscae, ad ipsorum aetatem, et insolitae substituisse summa suspicio est. Planissime tradit Antiatticista, in Anecdd. Beck. T. I. p. 77. Platonem ἀκράχολος dixisse in secundo de republica, apud quem nunc ἀκρόχολος legitur Rep. III. 312. T. VI. Legg. VII. 327. et ἀκροχολεῖν Legg. V. 213. quod et apud Aesopum Fab. LXII. 313 ed. Cor. occurrit; ἀκρόχολος Philo de Temulent. 273. 13. Plutarch. de Exsil. XII. 378. T. X. Themist. Or. XXII. 263. D. Nicet. Ann. XV. 6. 304. B. ἀκροχολία Plutarch. praecept. polit. XIV. 167. T. XII. de Adul. ab Am. dign. p. 172. T. VII. Antiquitatem formae vocalioris testatur Hippocratis ἀκρηχολία Epidem. VII. 559. F. T. IX. pro quo ἀκρητόχολος in libro de Fract. p. 267. D. obviam habuimus, non majore, ut arbitror, discrimine separata, quam ἄκρος ὀργήν et ἄκρατος ὀργή. Ἀκρόχειρας τοὺς ὀξύχειρας καὶ ἀνδροφόνους; Etym. M. s. ἀκροχειρίζ. quod addendum Lexicis. Huc etiam referri potest ἱεραφόρος apud Plutarch. de Is. et Osir. III. 104. T. IX. quod Squirius in communiorem formam deformavit. Sed ex eo si quis colligeret Ἱεραπολίτης et similia in hunc numerum referri posse, plurimum erraret; nam haec propriam habent regulam, quam generatim exponam. Nomina enim ethnica et topica primitiva in parathesi sunt, derivativa in synthesi Γορδίου τεῖχος, Γορδιοτειχίτης, Διονύσου πόλις, Διονυσοπολίτης, Ἵππου ἄκρα, Ἱππακρίτης, Ἑρμοῦ πέδιον, Ἑρμοπεδιανός, Κόρακος πέτρα, Κορακοπετραῖος. Sic etiam ut Νεὰ πόλις, Νεοπολίτης, Ἱερὰ πόλις, Ἱεροπολίτης et similia eodem modo dicerentur, consentaneum erat. Sed horum omnium summa est confusio et

ex uno genere in aliud crebra mutatio; namque non illa solum quae ex obliquo et nominativo composita sunt, nonnunquam sub uno accentu scribuntur Ηλιόπολις, Διονυσόπολις Peripl. Pont. Eux. p. 13. T. I. Huds. Πομπηιόπολις (*) et contra derivata quaedam diversos accentus habent, sed etiam haec, quae e duobus integris constant, sic ut prima pars immobilis maneat v. c. Νεάπολις, Νεαπολίτης in qua varietate sunt etiam nomina τῶν τοπιτῶν, Ιεροκολπίτης, Ιεροκωμητης, Ιεροπολίτης et vicissim Ιεραπύτνιος, Ιεραπολίτης, *Hieracometes* Plin. V. 30, 33. — Haec notanda breviter existimavi. Est vero aliud fere obsoletum genus compositorum, in quo pro ο assumitur ι, μυρίπνους Archytas ap. Plutarch. Quaest. Graec T. VII. p. 182. Philo Eleg. ap. Galen. de Compos. Med. L. IX. c. 4. p. 608. C. T. XIII. Sibyll. Orac. L. V. 569. et aliquoties in Analectis legitur, quae non minus multa alterius formae μυρόπνους exempla praebent. Tali quodam modo et illa efficta credas, ἀργίπους, ἀργικέραυνος, γεισίπους, χαλκίοικος, Φοξίχειλος, μυστιπόλος, (hoc quidem e prima, ut videtur, declinatione) in quibus quaedam sunt ambigua. Pro Φοξίχειλος in Simonidis versu Athen. XI. 60. Φοξόχειλος habent Lex. Mss. in Matthaei Gloss. Min. p. 19. Etym. M. s. v. et Schol. Venet. de quo errat Schweighaeuserus. Μυστοπόλος autem, quod e duobus Anthologiae locis Stephanus profert, nescio quo modo in altero horum Hymn. in Apoll. 518. in μυστιπόλος transiit: alterum locum non reperio; sed eandem vocem Hermannus in Orph. H. XVII. 18. reposuit pro μουσοπόλος, Lennepio Anim. ad Coluth. p. 130. μυστιπόλος corrigente, quod saepius ap. Nonnum occurrit. Sed sive sic est scribendum, sive alio modo, hoc totum genus artis et brevibus clausum est finibus, ut jam nobis alia, quam quae veteres illi reliquerunt, effingere fas non sit, quod Ruhnkenius facere ausus est, κρημνιβάδες in Hesychio reponens. Talia ut recipiantur, nunquam suaserim.

---

*) Πομπηιούπολις - τινὲς δὲ διχα τοῦ υ Πομπηιόπολις Steph. Byz. Sic codices inter Γυναικόπολις et Γυναικὸςπόλις, Αιγοςποταμίτης ib. p. 36. et Αιγοποταμίτης fluctuant.

De Declinatione tertia.

Venimus jam in locum lubricum et periculosum, in quo veniam habebimus, si cursus ad singula vestigia resistat. Nam si in illis, quae jam decursa sunt, saepe ab omni nos sustinuimus assensu, propterea, quod nullam habebamus regulam, qua vera et falsa judicaremus, quanto id magis fieri necesse est in tanta imparisyllabae declinationis varietate et copia, unde quae generantur compositorum formae, in omnes partes diffusae, luxuriantis germinis modo, multiformi ambage intuentium oculos fallunt. Sed repetam a capite.

Τὰ ἐκ δύο τελείων σύνθετα ὀνόματα ἀπὸ εὐθείας, ὡς τὸ ζωηφόρος, ἀπὸ γενικῆς, οὐδενόσωρα (adde, si Grammaticis placet, ἀλοσύδνη, ὑδατοσύδνη) ἀπὸ δοτικῆς, Ἀρηΐφιλος, ἀπὸ αἰτιατικῆς Ποδαλείριος Etym. M. p. 208. 47.

Primi et secundi casus exempla paucissima sunt eaque ipsa fere, quae commemoravimus, a poetica licentia sumta Unum est ceteris notabilius πολισσοῦχος, cui cave componas πολισσονόμος, quod qui effinxit, suavitatis causa contra rationem peccavit. Quum enim in plerisque omnibus, quae cum ἕλκω, ἔργω et ἔχω componuntur, in confinio utriusque vocabuli ο et ε concurrant, in ου confluxurae, ταλαντοῦχος, πολιοῦχος, κυνοῦλκος, ἁμαξοῦργος a consuetudine impetratum est, ut ea quoque, quae aliter se haberent, hunc flexum sequerentur, πολισσοῦχος, τελεσιουργεῖν, ἐντεσιουργός, πανοῦργος, ταλασιοῦργος, quibus velut ex insitu alieni surculi novus color tractus est. Ordinem servant κωλυσιεργεῖν, et, quod pro illo in Homero legitur, ἐντεσιεργός. Eorum autem, quae a dativo componuntur, numerus major, usus communior, ambiguitasque summa est; qua de re paullo post dicendum erit explicatius. Accusativi exemplum nullum reperio tale, quale Grammaticus commemorat, multa autem ejusmodi, nihil ut intersit, ad hunc casum an ad primam positionem referantur; velut quae a neutris μέλι, δόρυ, ἄστυ, γόνυ, μέθυ, πῦρ, φῶς componuntur. Κυμάκτυπος quum forte vidissem a Lexicographis afferri, statim de fraude cogitare coepi; neque opinio fefellit; nam in Simmiae versibus apud Hephaestionem (p. 36. Gaisford.) non hoc, sed κυμόκτυπος legitur, ut Κυμοθόη, κυμοθαλής, similia. Ονομάκλυτος para-

theton quam syntheton esse maluerunt veteres Critici, Schol. Ven. ad Il. XXII. 51. ὀνομαθέτης et derivata Ficini auctoritate in Platonis Cratylo non uno loco reposuerunt, quod mihi non male tueri videtur Gesnerus ad Quintil. VIII 3, 37. Sed ὀνοματοθέτης, quod alii praetulerunt, quodque Gudiani codicis auctoritate munitur, omnes numeros habet, neque quenquam vereri oportet, ne teretes Graecorum et religiosae aures tot brevium syllabarum concursum non tulerint; ὀνοματοθέτης et ὀνοματοθεσία Eustath. ad. Il. α. p. 39. ὀνομακλήτωρ legitur apud Athen. II. 29. p. 182. rectius ὀνοματοκλήτωρ in Glossar. Gr. Lat., nisi illud ad similitudinem latini nominis effictum est. Sed librarios in hunc errorem proclives fuisse ostendit ὑδαποτεῖν, quod pro ὑδατοποτεῖν subrepsisse Schneiderus adnotat. *Stomacaces* nomen specie ipsa immunditiem medicinae castrensis redolet v. Gruner. Antiqq. Medic. II. 137. στομδκάκη (ποδοκάκη, τραχηλοκάκη) qua auctoritate nitatur, prorsus nescio. Unum afferri potest exemplum certum et antiquum vocabuli ab integro nominativo compositi, ἁρματροχίη, solitarium illud nec cujusquam nisi sui simile. Γραμματόκος brevi alpha in Democharidis Epigr. II. non dubito, quin depravatum sit pro γραμμοτόκος, eodemque modo in Athenaeo pro γραμμαδιδασκαλίδης refingi debet, id quod in Diogene legitur, γραμμοδιδ. Sic χειμόθνης, σημοθέτης, στημορραγεῖν, αἱμόφθορος, quod ex Hesych. s. βροτολοιγός addendum est Lex., σπερμολόγος (v. Albert. ad Glossar. N. T. p. 79.) atque alia dicuntur, in quibus si longa requiritur syllaba, ο̄ in η̄ mutatur, αἱμηπότης, quod Jonibus tribuit Apollonius Bast. Ep. Crit. p. 16. Eustathio a genitivis haec et talia repetenti p. 1895. 33. minus assentiar. Aliquanto manifestiora contractionis vestigia apparent in κέκρανον, quod e Platone comico affert Antiatt. p. 105. tum in κελαινεφής, αἰπόλος, γυναιμανής, στλεγγοποιός, a Polluce VII. 179. memorato, omisso in Lexx., inque Hesiodio Ἀτλαγενής, quod Ἀτλαιγενής scribitur ap. Athenaeum, et ἀλεκτρυοπώλης, quae usu disjuncta, specie paria videntur. Sunt enim omnia partim obsoleta, partim ab antiquitate retenta, partim usu corrupta; quorum quum rationem reddere coguntur Grammatici, miserabile est, quantum trepident et discrucientur. Equidem haud in magno discrimine ponam, utcunque haec quis formata

censeat, Graecos quum videam vocabula, quae inter se aliquam rationem habent, genere autem ipso diversa sunt, ad commune exemplar referre solere, quo fit, ut ab una eademque stirpe primum paria, tum similia, denique etiam contraria deriventur. In quo opere pretium est animadvertere, ut graecus sermo, posteaquam factus est robustior et consuetudine confirmatus, sensim exultare desierit. Sic v. c. σωμασκεῖν, verbum antiquum et signatum, propriam formam habuit; quam, quae recentiores indidem composuerunt, induere non potuerunt. Haec vero derivandi ratio, quae ipsum vocabuli thema refert, regnat potissimum in nominibus propriis, Αρτεμίδωρος, Απολλωφάνης, Ελπαγόρας, Ελλάνικος (*) Ποσείδιππος, Ομόμαχος, regnat vero etiam in adjectivis et verbis tum simplicibus tum compositis, αἱμηρός et αἱματηρός, δραγμεύειν et δραγματεύειν, τερμάζειν et τερματίζειν Strabo IX. 2. 546. T. III. Sext. Emp. adv. Phys. p. 651. πωμάζειν et πωματίζειν (**) ἑρμάζειν et ἑρματίζειν. Magna etiam diversitatis causa posita est in dissolexia heteroclitorum, velut σπασμώδης et σπασματώδης, (***) σπαραγμώδης et σπαραγματώδης etc., quae ni-

*) Vir doctus nuper in Ephem. Jenens. Hellanici nomen non compositum ab Ελλάς, hinc enim Ελλαδόνικος componi debuisse, sed adjectivum esse simplex possessivum doricum pro Ελληνικός contendit. Ejus generis exempla quae commemorat, Αχαιός, Ιων, (Επειός, Λιβύς, Δάρδανος Eustath. 325.) dissimilia sunt; sed concedam v. c. Ελλάδικος in Ep. Paral. 13. p. 765. simplex possessivum esse, accentum que pr. priorum modo retraxisse; neque Tzelza auctore utar, qui Posth. 778. Beck. nomini Ελλάνικος mensuram epitriti quarti tribuit, sed ab Ελλάς et νικάω recte componi Ελλάνικος, id vero eripi mihi non patiar.

**) Πωματίζειν Schol. Venet. χ'. 325 Galen. de Theriac. L. I. 19. 9[?]8. C. Hesychius δυαχοῖ (i. e. ζυγοῖ) πωματιζει, Δυοχῶσαι, πωμάσαι, a δυογόν i. e. ζύγαστρον, ἀποπωματίζειν (i. e. ἀναπωμάζειν operculum detrahere) Galen. l. l. 14. 951. B. T. XIII. quod Lexicis deest sed idem πωμάζειν de Usu Part. IV. 8. 376. A. et ἀπώμαστος Comm. in VII. Epid. p. 488. A T. IX. Geoponn. XIII. 10. 954. idque etiam L. VI. 1. 427. Needhamus pro ἄπωμον (ut ἄσωμον) restituendum esse dixit; neutrius mentio facta est in Lexx. Eadem inconstantia apud Theophrastum nunc περιπωμάζειν legitur de Ign. p. 431. Heins. nunc ἐπιπωματίζειν ib. p. 432 et 434.

***) Σπασμωδέστερον (sic) Theoph. de Lassit. p. 466. mox σπασματώδης; haec et talia centenis in locis a librariis permutata esse, summa est suspicio.

hil huc pertinent. Contractionis sive elisionis in verborum compositione Grammatici haec ferunt exempla εἰλίπους (εἰλόπους Hesych. et Ed. Junt. Hesiod. Theog. 290.) τανύπεπλος, μαίφονος, quae ab εἱλίσσω, τανύω, μαίω derivant (Etym. 299. 24.) quam rationem respuit μαραυγεῖν et μαραίπους Hesychii, (cf. σαράπους) quorum hoc omittit Schneiderus, illud perperam ab ἀμαρυγή derivat. Sed sive sic est, sive alio modo, illud indubitatum videtur, antiquum Graecorum sermonem, toto genere flexibiliorem, in vocabulorum textura, a primis velut staminibus progressum esse, atque his modo ipsis, modo interposita litera connexiva (σημ-ο-θέτης) aliud adnexuisse vocabulum. A nominativo vero incorrupto, ut in viam redeam, componuntur adjectiva plura tertiae declinationis mobilia, ταχύδρομος, ἡδύπολις, μεγάδοξος, Anna Comn. IX. 250. D. μεγάφωνος ib. I. 21. C. quod utrumque Lexicis deest, μελάμπεπλος, μελαγχαίτης, παμφόρος, quae praeter illa pure declinata, etiam a genitivo componuntur, hoc discrimine, ut nominativus adverbii significationem inferat πανάθεσμος, παναγαθος, πανοπτης, πανδώτειρα, a quo παντόπτης, παντοδότειρα aliquid differt, sed ita parum, vix ut animadverti possit. Sic, quem Pindarus παμβίας, alius παντοβίας dixit; pro παντότολμος Niceph. Greg. VII. 5. 145. F. margo formam minus poeticam πάντολμος exhibet, quod legitur XIV. 10. 463. F. πανουργός contra, quum esset usu tritum et vulgare, poetae παντοῦργος dicere maluerunt. Μεγάδωρος Oppian. Cyn. III. 29. μεγαλόδωρος Arist. Pac. 395. (μεγαλοδωρία praeter eos locos, quos Schneiderus in App. notat, occurrit Gregor. Naz. XIII. p. 254. Euseb. Hist. Eccl. IX. 7.) παντάδικος Philo de Creat. Princ. 723. D. mutandum videtur in πανάδικος; neutrum asciverunt Lexica. Sed jam transgrediar alio, si prius manifestum Porsoni aliorumque errorem correxero. Sic enim censeo, γερασφόρος, κερασφόρος, σελασφόρος, non a nominativis esse composita, sed a γέραος, κέραος, σέλαος, detracta vocali altera casuali, quae omitti solet in multis similibus, σακεσφόρος, τευχεσφόρος, ἀκεσφόρος, ἀνθεσφόρος, τελεσφόρος, quibuscum si contuleris, quae ab his non multum distant, σακεσπάλος, θέσκελος, ἐρέσβιος, hoc genus ex omni parte apertum erit, neque quisquam

Schneidero assentietur, ἐγχέσπαλος, ἐπεσβόλος, ex ἐγχεσίπαλος etc. contracta esse. Postremo adjiciendum videtur etiam illud, quod haec vocabula partim eadem forma, partim ea, quae minus apertum insignemque numerum habet, a pedestribus scriptoribus usurpantur, ut τελεσφόρος, quod Aristoteles dithyrambicis adnumerat Rhetor. III. 3. p. 801. multi, praesertim recentiores, triverunt v. Wetsten. ad Luc. VIII. 14. et Schleusnerum Lex. N. T. p. 991. T. II. τελεσφόρημα Nicet. Schol. in Synes. p. 415. A. deest Lexicis; τὴν φωνὴν ἐπεσβόλος Maxim. Tyr. XXXII. p 126. poeticum magis est quam oratorium. Sed Dianam σελασφόρον vulgus communiter cum poetis appellavit Pausan. I. 31. 721. κερασφόρος Theophrast. de Anim. color. mutant. p. 470. Herodian I. 15, 40. Lucian. bis accus. 9. p. 59. T. VII. κερασφορεῖν Schol. Venet. Θ. 271. quo Lexica carent, κερατοφόρος Aristot. H. An. II. 2. p. 43. p. 46. κερατίζειν, cui Schneiderus notam adscripsit, invenitur Aesop Fab. CCCLXXIII. p. 240. et saepius in LXX., qui et κερατίστης indidem ductum. Sic et τερατοσκόπος et τερασκόπος s. τερασκόπος (cf. πρόσφαγμα Herman. ad Hecub. p. 65. πρόσσχετε Porson. Praef. ad Hec. Suppl. XLVII. προσστάς v. Schaefer. ad Dion p. 141. Schneider Animm ad Theophr. Char. XIV.) γερασφόρος et γερατοφόρος, nisi fallunt Lexica; quibus infer ἁρματοφόρος et ἁρματοφορεῖν Schol. Venet. λ 383. ἁρματοποιός Schol. Paris. in Apoll. Rh. I. 752. ubi Schol. vett. ἁρματοπηγός habent.

Una pars superest tum ad cognoscendam graeci sermonis varietatem potentissima, tum supra dictis longe difficilior, eorum dico, quae ab obliquo sive corrupto sive integro componuntur.

Τὰ εἰς ἀμετάβολον λήγοντα σύνθετα κατὰ τὴν ἀρχὴν οὐδέποτε ἀπὸ τῆς εὐθείας συντίθεται ἀλλ᾽ ἢ ἀπὸ γενικῆς ἢ ἀπὸ δοτικῆς· καὶ εἰ μὲν ἡ ἐπιφερομένη λέξις ἄρχεται ἀπὸ συμφώνου, ἀποβαλλει ἡ γενικὴ τὸ σ, οἷον φρενοβλαβής χηνοτρόφος (adde Lex.) ἐὰν δε ἀπὸ φωνήεντος ἄρχηται ἀποβάλλεται καὶ τὸ ο καὶ τὸ σ, οἷον φρεναπάτης, χηναλώπηξ. Δεῖ προσθεῖναι, εἰ μὴ ἄρχεται ἀπὸ τοῦ η ἢ ἀπὸ τοῦ ε· τότε γὰρ τὸ σ μόνον ἀποβάλλεται, οἷον χειροήθης, χειροεργός καὶ χειρουργός, λιμενοειδής. Δεῖ προσθεῖναι καὶ χωρὶς τοῦ χειροάναξ· τοῦτο δὲ γίνεται κατὰ κρᾶσιν χειρῶναξ, ὡς Ἱππῶναξ Etym. M. 870. 53. Ut retro ordinem agam, χειρώναξ (χειρῶναξ) et Ἱππώναξ (Ἱππῶναξ) constanter scribi animadvertimus; reli-

qua composita, in quibus ι cum aliis vocalibus concurrit, illud modo servant, modo omittunt, modo contrahunt utrumque. ΟΑ. παντοάναξ in carmine jambico de Imper. Orient. p. 35. T. I. Corp. Hist. Byzz. Πλειστοάναξ Thucydides fere semper et Pausanias, Πλειστῶναξ Plutarchus; πυθώναξ Simonid. Epigr. XCVI. p. 77. quem lemma πυθόνακτα vocat. νεάλωτος Hesych. νεοάλωτος Herodo. IX. 120. Dio Cass. XLIX. p. 473. E. 38, 597. ὑποαμουσότερος Plato Rep. VIII. 193. T. VII. unde vel hoc, vel quod malim, ὑπάμουσος, Lexicis addatur licet; illi confer ὀρθοάκανθος, αὐτοαπλότης etc. ΟΕ. Ἀγαθοεργούς ἀττικοὶ τοὺς ἀγαθόν τι ἐργασαμένους Anecd. Beck. p. 333. sic ἀγαθοεργός Polem. Physiogn. I. 16. 266. Damascius Suid. s. ἀγαθοεργία, hoc ipsum est apud Procop. de Aedif. Justin. Praef. p. 2. C. et Herodot. III. 154. ex quo ἀγαθουργίαν citat Antiatticista Anecd. T. I. p. 78. ἀγαθοεργεῖ semel in N. T. legitur, ἀγαθουργεῖν Cyrill. c. Julian. III. 81. A. κακοεργία Plato Rep. IV. 331. κακοεργασία Lesbonax Protrept. p. 25. T. VIII. κακοεργός Annaeus Gaz. Theophr. p. 65. Hesych s. δύσοργος et Phot. s. κακεργέτησι· κακοεργός Anonym. Physiogn. ap. Boisson. ad Marin. p. 131. quo Lexica carent; pro φιλεργία cod. Xen. Oec. XX. 26. φιλοεργία praebet; quod et ipsum omissum est. Κλυτόεργος, quod poetae frequentant, restituebam Quinto Cal. I. 732.

οὐδέ νυ σοί τι μέμηλε
ἀμφ' ἀρετῆς κλυτοέργου·

ubi nunc κλυτὸν ἔργον legitur. Ὁμοέστιος, Plutarch. Symp. VII. Quaest. IV. 5. 302. T. XI. Marin. V Procul. c. IX. et XII. cujus priore loco codex ὁμέστιον exhibet, quo Suidas utitur. In pari varietate sunt αὐτοεξούσιος et αὐτεξ., ψευδοεπεῖν et ψευδεπεῖν, ἀνδρείκελα, quo permulti utuntur v. Ruhnk. ad Tim. p. 36. et ἀνδροείκελα Clemens Alex. p. 79. quod Lexx. add. λαμπρείμων et λαμπροείμων, λευχείμων et λευκοείμων. Lexicis addenda sunt haec: αὐτοέπαινος Schol. Venet. Π. 70. φιλοεστιάτωρ Philo de Joseph. 556. A. φιλοεπής Suid. s. Κῦρος, βαναυσόεργος Eustath. 753. et, de quo dubitatur adhuc παντοεπής Adamant. Physiogn. II. 27. 428. *ΟΗ.* praeter κακοήθης, quod in Lexica jam relatum est, occurrit etiam κακήθης in Andromach. Theriac. ap. Galen. de Antid. V. 876. B. T. III. Adde βαρβαροήθης Schol. Venet. H. 89, γυναικοήθης Hesych. s. μαλθακός, ὁμήθεια

idem s. ὁμαιχμίη, ἀκακοήθευτος Eustath. Ιλ. Γ. 408. ἀκακοήθης Schol Pind. Nem. VIII. v. 59. ὀλιγοήμερος Eustath. p. 18. ὀλεημερος Moschop. ad Hesiod. v. 131. μεσοήλιξ Tzetz. posthom. 358. Μητροήθης, quod Jacobsius in Parall. Analect. reperisse sibi visus est, neque graecum, neque ad sensum aptum est. Epigramma hoc est: αὐτὴ τέκουσα παρθένος πάλιν μένει, καὶ μὴ θροηθῇς· ἔστι γὰρ τὸ παιδίον θεός· ubi μὴ θροηθῇς dictum est, ut solent recentiores, pro μὴ θαυμάτης. *OI.* Ex hoc genere Lexx. plura factitia susceperunt, γυναικοϊέρακες, κακοΐλιον, ψευδιερεύς· quibus adjice ψευδοϊστορεῖν Eust. ad Ιλ. β. 363. *Oo* raro occurrunt vel apud poetas non contracta: ut ἀστεροόμματος, λευκοόπωρος, Φιλόοινος Polemo Physiogn. II. 13. 291. κακοαινία e Geoponn. χρηστοινεῖν e Strabone affertur κακοικοοιμος Philo de Merc. Meretr. 865. A adde Lexicis. In Diod. Sic. XII. 12. 32. 33. T. V. bis legitur κακοομιλία, eodem, puto, errore quo in Pallad. Epigr. CXLIII. p. 144. in cod. Vatic. κακήμερος scriptum est *OY* nunquam in diphthongum coeunt: Λινοῦφος in Glossis vel λίνυφος (ut σινδονυφής, σπάνυδρος) vel λινόϋφος fuit, quod vel *linyphariorum* nomen ostendit. Textrinam ipsam λινοϋφίον vocat Eusebius de Vit. Constant. II. 33. p. 553. εἰς γυναικεῖα ἢ λινοϋφία ἐμβληθέντες, omissum illud in Lexicis. Δάσοφρυς Adamant. Phys. L. II. 26. 421. e quo, si unam addideris literulam, λασίοφρυς emerget, tamen defendi quodammodo potest consimilibus τράχουρος. θρασαύχην. Sed ne majorem operam suscipiamus, quam causa postulat, haec transmittam aliis, si qui volet ista altius persequi, revertarque ad Artigraphos, quorum non una omnium fuit disciplina.

Ἡρωδιανὸς λέγει, ὡς αἱ εἰς ος ὀξύτονοι γενικαὶ συντιθέμεναι συμφώνου ἐπιφερομένου ἢ διὰ τοῦ ο λέγονται, θριπὸς, θριπόβρωτος, ἁλὸς, ἁλοθήκη (add. Lex.) ἢ διὰ τοῦ ι Αιγίπαν, πυρίχαλκος (?), νυκτικόραξ· οὕτως οὖν, φησί, καὶ ἀλοπώλης (add. Lex.) ἀλοθήκη. Ο μέντοι διὰ τοῦ ε ἀλετρίβανος μήποτε δώριόν ἐστι. Eustath. p. 183.

Ergo illud jam perspicuum est, has res in nobilissimorum Grammaticorum disputationibus versatas esse, aliosque alio modo tradidisse, nullum autem quaestionem a rebus singulis et fortuitis ad universi generis rationem traduxisse. Communes igitur rerum summas si quis nosse cupiat, sic habeto. Si Genitivus in ος purum terminat, vocalis praece-

dens, fie radicalis non est, abjicitur, tum in adjectivis ἀληθοποιεῖσθαι Schol. Ven. Φ. 34. ἀκριβόλεκτος Gloss N. T. p. 204. ed. Albert. ποδηροφορεῖν Clemens Paedag. II. c. 1. omissa illa in Lexicc., tum in substantivis, θαρσοποιός Eust. 1344. 12. γλαγόδωρος Tzetz. Anteh. 224. Posth. 380. (γλαγεοχρους s. γλαγόχροιος rescrib. posth. 527.) σκοτοποιεῖν Schol. Ven. Υ. 58 et centenis aliis; Exceptis quae vel usus vel necessitas numerorum huic legi contraria finxit, ut ἐλεόθρεπτος (*) ὀρεοπολεῖν, ἀλγεόδωρος Tzetz. Anteh. 245. quae pauca sunt. Nunquam contra fit. Τεκεκτόνος apud Orpheum relictum esse ab Hermanno, impense miror. Si radicalis est litera servari debet. Sed tum ο casuale, quot mutationes subeat, dictu memorabile est. *Primum* abjicitur in substantivis verbalibus in ις, iisque ad similitudinem futuri I. activi expressis λεξιθηρεῖν, σηψιδακης, ῥησιμετρεῖν, ὀνησιφορεῖν, φαυσιβολεῖν, πραξικοπεῖν, ταξίαρχος· quae in hoc numero non sunt, retinent formam declinationis antiquam ὀφιόδηκτος (**) στασιοκοπεῖν, ὑβριοπαθεῖν, πολιοφυλακεῖν, ἐχιόδηκτος. Sed et hic intelligi potest, quem saepe a curriculo consuetudo deflexerit, eo praesertim tempore, quo sermo nondum ad artem et praecepta revocatus erat, sed libere adhuc generosae stirpis instar in omnes partes crescebat: quod ostendunt homerica illa πολίπορθος, πορτιτρόφος, μαντίπολος, θεμιστόπος, φυσιγνώμων et si quid est eadem forma percussum. *Secundo* ο casuale abjici potest, sed raro abjicitur in genitivis in υος δρυτόμος, ἰχθυβόλος, ἰχθυπαγής, χελυκλόνος, σταχυμήτωρ, quorum utraque forma utuntur pro numerorum diversitate poetae, pleniore et legitima pedestres scriptores, σταχυολογεῖν, δικτυοβόλος, δρυοτόμος, nisi sit vocabulum tritum et vulgare, quod genus multum variare solet usus. Δρυτόμος Pollux. VII. 109. δρυοτόμος Aesop. Fab. CLXXV. p. 108. Galen. de Comp. Medic. per Gen. III. 2. 710. δρυοτομέω Schol. Venet. IV. 487. adde Lexx., δαφνίδες δρυοπετεῖς Dioscor. I. 50. 22. quam

---

*) Hoc recte Harpocratio p. 99. interpositu literae ι effectum dicit.

**) Contra analogiam Eustathius ὀφιωπλόκαμος p. 716. Πτολίπορθος, quod critici quidam Ιλ. Β. 278. invexerunt, nescio quid sequatur. De ἀλυσίδετος dicam alio loco.

formam et ipsam negligunt Lexica. Δρυοκολάπτης Theophr. H. Pl. L. IX. c. 9. Aristot. Hist. An. VIII. 5, 4. unde hoc citat. Antiattic. Beck. p. 89, T. I. et Aelian. H. An. I. 45. δρυκολάπτης Aristoph Avv. 480. 979. Strabo V. p. 182. T. II. quae diversitas nonnunquam multum dubitationis habet. Δικτυοειδής Galen. de Venar. Arter. Dissect. IX. 237. et ἰχθυοφόρος Sym. Job. XL. 26. desunt Lexicis quibus adde σαρκασμοπιτυοκάμπτης. Ran. 966.

Theses.

I.

Non solum probis praemia, improbis poenas post mortem constitutas esse, sed etiam aliam bonorum scriptorum, aliam pravorum fore sortem, credi par est.

II.

In Poneropoli Botanica et suavius et melius vivi potest, quam in republica Platonica.

III.

Probi non fiunt sed nascuntur.

IV.

Nulla est ars, nullum studium, unde is, qui in eo occupatus est, non aliquid mali saporis trahat; quare, quod olim vulgo jactabant, Theologos imperiosos esse, Medicos superstitiosos, Philologos rixosos et superciliosos, naturae judicium, non hominum commentum haberi oportet.

V.

Sublata fati opinione exstincta est vis tragica. Neque post Aristophanem extitit probabilis comoediae scriptor.

VI.

Qui acta et literas publicas graeco latinove sermone conscribi volunt, similiter faciunt, ut si supellectilem domesticam, qua hodie utimur, veteribus ignotam, graece latineque apellari jubeant.

VII.

Nullus laboriosior et ingeniosivr doctor caret illa summa artis suae admiratione, quae cum Pedantismo, quem vocant, necessario ac naturali vinculo conjuncta est.

VIII.

Quod Physici docent naturam universa bestiarum genera tueri, de singulis nihil laborare, idem de hominibus quoque dicendum esse recte viderunt Stoici quidam.

IX.

Quam Technici tradunt arti dramaticae propositam esse purgationem affectionum, eadem cum historia veterum gentium conjuncta est.

X.

Extrema Anabasis Xenophonteae paragraphus suppositicia est.